Constantino Hugenio
C. Barlaeus S. P. D.

Stupui, cum relegerem versiculos illos tuos, carminis mei interpretes, et qui editi nuper mihi placuerant, iam displicere coeperunt. Fateor, aliter sues, aliter catulos olere, et multum a viburnis differre cupressos. Ex paucis istis filamentis tuis facile coniicere potui, quale totum ὕφασμα futurum fuisset, si pertexuisses. quod ut fiat, petere non ausim: tum quod sciam gravioribus te et magis seriis distringi, tum quod indignus sim, cuius panno insignis tua superinducatur purpura. Vis, Hugeni amplissime, ut candidus impertiar, quae per otium mihi excidere solent. Ecce, iterum Andria aliquid apportat novi. Seria non mitto, sed ludicra & festiva, nuptialia volebam dicere, a quibus abesse debet ambitiose tristis oratio. Non hic, ut est apud Petronium legere, piratas cum catenis in littore stantes, non tyrannos edicta scribentes, quibus imperent filiis, ut patrum suorum capita praecidant, non flebile Iphigeniae fatum, sed molles et ridiculas philosophi allusiones et allegoricos sensus ad amores translatos. Officium boni oratoris esse de rebus gravibus graviter, humilibus humiliter dicere. Non cuivis pedi quilibet quadrat calceus, nec cuivis argumento convenit circumductus & elaboratus sermo. Cum haec scribere coepi, coepi ridere, et ridendo progressus in risus desii. In nuptiis grandia loqui velle plus quam ridiculum fuerit. Annon piscatores cum hamo appendere solent escam, quam sciunt appetituros pisciculos? Plus laboris impendi in describendo, quam scribendo. Et licet non soleam meis subscribere superbum illud: Ex tempore, apud te tamen profiteri audeo, extemporaneum hunc esse discursum. Nec mirum, cum nervis careat, ossibusque. Mitto exemplaria aliquot, quae velim iis per familiam distribuas, quibus mea impertiri soleo. Viris gravibus D. Catsio, Honerdo, Scotto vix mittere ausim. Quid si tamen mittas? etiam D. Doubletio, et D. Kinschotio, quibus meliore luto finxit praecordia Titan. Vale Vir praestantissime et uxori a me salutem plurimam dicas velim. Amstelodami ~~[illegible]~~ VIII Id. Feb. CIƆIƆCXXX.

C. B.

Nobilissimo viro D. Mylio velim tradi exemplaria sex, una cum litteris.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 42
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/489

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 42
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/489

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 42
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/489

Dit is mijn heer
mijn heer Constantinus Huijgens
Ridder ende Secretaris van sijn Ex.tie
woonende in de middelste hooftstraet

Hage

Pour 7. Feb. 30.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 42
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/489